K
Ossian.
11630. d. 3
15

TEMORÆ

LIBER PRIMUS

VERSIBUS LATINIS EXPRESSUS,

Auctore ROBERTO MACFARLAN, A. M.

——sequiturque patrem non passibus æquis.

LONDINI:

Prostat venalis apud T. Becket et P. A. De Hondt, Bibliopolas in Vico dicto *The Strand*. MDCCLXIX.

BRITISH MUSEUM

ERRATA.

P. 5. l. 22. pro *sete*, lege *sese*.
P. 7. l. 19. pro *tecuere*, lege *tacuere*.
P. 8. l. 1. pro *ixitiabile*, lege *exitiabile*.
—— l. 17. pro *terræ*, lege *terre*.
P. 19 — pro semidio lege semidæ (ubique
P. 13 — pro humectaverit lege humectaverat

CONDITIONES

Quibus ope collatitiæ Pecuniæ imprimenda ſunt

OSSIANI, FINGALIS Filii,

Poemata verſibus Latinis expreſſa ab

ROBERTO MACFARLAN, A. M.

PATHOS, ſublimitas, ac vivida vis, quæ Oſſiani Carmina ſignant, primarium illi locum inter poetas Epicos jure vindicant. Maximi illi plauſus, quibus Anglicano ſermone editus per omnes Europæ regiones exceptus eſt, harum conditionum auctorem impulerunt ad tradenda Poemata conſuetudini Romanæ, utpote magis notæ, minuſque caducæ quam quælibet lingua hodierna. Cumque ratio operis, quod eſt doctis præcipuè accommodatum, haud ita latè patentem capiat venditionem, collatitiæ pecuniæ ope imprimere viſum eſt. Utque incepti fautores in anteceſſum ſciant quid poſſit interpres, primus Temoræ liber ſpeciminis loco editus eſt; exemplarque curioſorum examini ſubjiciendum invenietur apud Bibliopolas, qui pecunias accipiunt collatitias: nempe apud T. Becket et P. A. De Hondt, Londini; J. Balfour, Edinburgi; R. et A. Foulis Glaſcuæ; M. Saillant et M. Pancoucke, Lutetiæ; M. Goſſe et Pinet, Hagæ; alioſque bibliopolas in primariis Europæ urbibus.

CONDITIONES.

I. Opus eleganter impreſſum edetur Calendis Martiis anni MDCCLXX, unumque efficiet tomum grandiuſculum in quarto compactum.

II. Quicunque nomen ſubſcribit unum et viginti ſolidos Anglicanos ſolvet; dimidium, cum nomen profitetur; reliquum, cum librum accipit.

III. Subſcribentium nomina imprimentur, omneſque Macpherſoni annotationes carminibus intelligendis neceſſariæ retinebuntur.

Pecuniæ acceptæ ſyngrapha.

PRO exemplari Oſſiani Pematum Latinè redditorum dimidium collatitiæ pecuniæ conſtitutæ ab accepit

CONDITIONES.

I. Opus eleganter imprimetur, ac vivida vis, quæ Ossiani Carmina ligant, primantium illi locum inter postas Europæ viventium. Maximi illi placita, quibus Antiquitatis amorem undique per omnes Europæ regiones excepturus est, harum conditionum memoriam propagarunt ad eruditos Peregrinos conservandi Robinsonianæ, typorum magis nostrorum, minusque cadunt quam quidlibet linguæ boliviæ. Utrumque ratio operis, quod ea doctis præcipuè accommodatum, haud ita late patentem capiat ventitaturæ, collatitiis pecuniis ope imprimere vilum est. Utique incepti fautores in antecessum solvant quid potest interpres. primus Tomus liber tiscribis loco editus est; exemplaria quatuor quæ in Bibliotheca Imperiali apud Vindobonam, qui pecunias accipiunt quamprimum remittendum curabit. Reliqui ad T. Beckett et P. A. De Hondt, Londini; J. Balfour, Edinburgi; R. et A. Foulis Glasguæ; Sallant et M. Pancoucke, Lutetiæ; M. Gosse et Prost, Hagæ; aliosque bibliopolas in primariis Europæ urbibus.

II. Quicunque nomen subscribit unum et viginti solidos Anglicanos solvet; dimidium, cum nomen proferatur; reliquum, cum librum accipit.

III. Subscriptionum nomina imprimentur, quemque Magnificentiæ monumentum curasse hoc egregio munificentiæ testimonium.

Pecuniæ accepta fungantur.

PRO exemplari Operis Poematum Latine redditorum dimidium collatitiæ pecuniæ solvitur ab

accepti

TEMORÆ

LIBER PRIMUS.

CÆRULEI Ullinæ fluctus sub sole tremiscunt,
Clara dies vestit viridantes lumine colles,
Arboribus quassant umbrosa cacumina venti,
Et canus torrens lapidoso volvitur alveo.
Quercibus annosis ac molli gramine pulchri
Colliculi cingunt angusto limite campum,
Per quem cæruleus mæandros rivulus urget;
Carbar et Athensis salebroso margine stabat.
Nititur, en! hasta rex; et turbata timore
Lumina triste rubent: animo sine fine recursat
Cormacus indignè laniatus vulnere fœdo.
Apparet juvenis species obscura tenebris,
Nimbosumque latus maculatum sanguine multo.

Carbar at hæc volvens tetram ter percutit hasta,
Ter barbam mulcet, nervosaque brachia jactat;
Nunc celeris gressu, nunc tardus: sæpe resistit,
Desertisque refert nubem, cui flamine cuncto

Forma nova accedit, circum dum mœsta videtur
Vallis, et horrescit minitantem in montibus imbrem.

At rediit tandem mens, ac hastile revellens
Ad Lenam gressus flexit, vultumque minorem;
Quum vocat, ecce! Anaris timidi spectatur ab ora,
Sed pedibus timidis, oculisque subindè retortis.

Carbar adesse virum gentis insuperabile sentit,
Torvorumque ducum circum se contrahit agmen.
Ad vocem clypei pedibus coïere sonoris,
Districtisque simul gladiis scuta bella minantur.
Morlathus advenit nectendas luribus orvo,
Carmineque accendit martem cristatus Hidallin.
Incumbit validæ rubicundus Cormarus hastæ,
Obliquosque oculos volvens certamina politu
Obtutus Malthi nigra sub fronte videbat
Efferus; immotus manet at Ibidathus, ut ardua
Cui latus obductum spumosa aspergine, cinctu.
Ornum Slimoræ, rabiem quam provocat Iburi,
Hasta refert; martis densis fecatur ictibus umbo,
Sanguineusque oculus pugnæ discrimina sperat.

His ac mille aliis, bello quibus aïta cordi,
Cinctus erat Carbar falcatis curribus altus,
Cum, queis porrigitur scabris repleta Molena,
A campis venit Moramalus icyor Euro,
Prominulis oculis, albis, tremulisque labellis.

Statne

Statne cohors, inquit, procerum, quos jactat Iernè,
Ceu tacitæ nemoris tranquillo vespere pini?
Statis, utì rupes, Fingal dum territat oras,
Fingal fulmineo gladio metuendus et hasta?

Vidistine virum? Suspiria pectore ducens
Carbar ait. Multosne duces secum attulit heros?
Pacificusne venit? Belli aut prætenditur hasta?

Pacificus non ille venit; namque ipse notavi
Terribilem visu descendere cuspide prona,
Sidere lethali, exitium quod millibus adfert.
Accessit terram primus, viridique senecta,
Canitieque valens; nervosaque membra tumescunt.
Robore dum lætus graditur, dextraque potente
Exornat latus haud geminanti vulnera ferro;
Sanguineæ lunæ qualis rubet orbis in ortu,
Cum nimbosa furit tempestas, parma relucet,
Ossianus tergo, citharæ modulator, adhæret,
Filius et Mornæ, Morvensis gloria gentis.
Prosilit innixus prælonga Connalus hasta:
Dermid adest nigris sparsis sine lege capillis,
Flammiferumque rotans ensem diverberat auras.
Fillanus arcitenens canibus circumdare saltum
Moruthi solitus scatebris riviisque repletum,
Flectit humi nitens taxum, promitque sagittas.
Quis tamen antè ruit, veluti de vertice montis
Decurrens magno rapidus cum murmure torrens?
Filius Ossiani dirus fulgentibus armis,
Atque domus famam propriis virtutibus augens,

Flava coma in tergum cadit, et chalybeia cassis
Audacis frontis media plus parte revincit;
Robusto femori nutantem accommodat ensem,
Longaque, ut ingreditur, crebris micat ignibus hasta:
Terrificos oculos perculsus pectora fugi.

I, fuge, respondit Foldathus corde superbus,
Ad saltus, ignave, tui fuge cana fluenta,
Exiguumque animum serves inglorius antris.
Oscara non vidi? Conspexi cernere ferro;
Atque equidem est horum, quos nulla pericula terrent:
Ast alii validis contorquent viribus hastam,
Atque pares illi multos enutrit Iernè.
Pergat in hoc flumen Foldathus, vimque repellat;
Hasta mea heroum magnorum sanguine tincta,
Nec mihi parma minus firma est quam moenia Turæ.

Foldathus solus temerarius ibit in hostes?
Aspera respondit torvi sapientia Malthi:
Nonne vides quantis complerint millibus oram?
Quanta mole ruant, rapidum velut agmen aquarum,
Multa quod irritant coeuntia flumina valle?
Isti nonne duces tumidum domuere Suaranum,
Stirpis Iernensis fugit cum exercitus omnis?
Foldathoque uno cedet fortissimus heros?
Viribus adjutus populi, Foldathe superbe,
Hostibus occurras fidens, Malthusque sequatur,
Cæde rubet ferrum—dicant sed facta nepotes.

Vos, O progenies generosa virentis Iernes,
Eloquio blando dixit crinitus Hidallas,

Ne ſinite ut voces veniant * Fingalis ad aures,
Hinc nam forſan opes, animuſque accederet hoſti,
Lætior et dubiæ pugnæ diſcrimen iniret.
Eſt animus vobis, et bello cognita virtus;
Fulminibus ſimiles, deſertorumque procellis,
Quæ ſolidis ſcopulis occurrunt abſque timore,
Silvaſque evertunt, latè vos ſternitis hoſtes:
More tamen patrum tardi nos agmine denſo
Conjunctim, veluti nubes collecta, feramur.
Sic fortiſque tremet, cadet armipotentis et haſta
E manibus; dicent, " mortis nunc ingruit atra
Nubes," continuæ dum umbræ varia ora pererrant.
Tunc gemet adverſis fractus, canuſque ſenecta
Fingal, nec poterit famam retinere fugacem.
Non premet ulla ducum ventoſum Morvena planta,
Muſcus et annorum Selmæ naſcetur in aulis.

Audiit hæc Carbar tacitus, ceu nimbus aquoſus,
Nigrans qui Cromlæ prærupta fronte minatur,
Perrumpat trifidum donec latera ardua fulgur:
Horrida tunc rutilis flammis, ignique coruſco
Collucet vallis, genio gaudente procellæ.
Sic ſete tacitum tenuit; tandem ora reſolvit:
Maturate dapes, et feſtæ gaudia conchæ,
Lautaque curentur Lenæ convivia campis.
At vos, bardorum centum turba omnis, adeſte;
Ollaque, tu regis citharam cape, et, Oſcare forti

* Penultima hujus vocis in caſibus obliquis producitur propter derivationem, etiamſi repugnet analogia.

Invento,

Invento, veniat dic ad convivia noſtra;
Namque hodie ſociis epulis, et carmine læto
Indulgere juvat genio: cras frangimus haſtas.
Dic Catholis ſtructum tumulum, bardiſque canoris
Laudatos manes, et nobis cognita famâ
Fortia, quæ geſſit reſoni Carronis ad undas.
Nobis deficiunt vires; deeſt Duthule natus:
Nunc generoſus abeſt multis cum millibus heros:
Odit at ille omnes inter convivia rixas;
Non minor eſt animi quam ſolis in æthere fulgor.
Sed quoniam numero ſuperamur, in Oſcara Carbar
Diſtringet ferrum; Catholi nam ſummus amicus
Ingemit extinctum, ferus et mihi multa minatur.
Aſt ego non patiar; mea nunc excanduit ira:
In Lena cădet, atque traham de ſanguine nomen.

Lætitia circum nituerunt omnibus ora,
Perque Molenam abeunt diverſi; concha paratur
Lætificans: procul ac oriuntur carmina bardûm.
Lætitiæ noſtras vox perveniebat ad aures,
Cathmoraque heroem cuncti rebamur adeſſe,
Cathmora, cui clauſas non rupperit advena portas,
Carbaris et fratrem, diverſa at mente beatum;
Illi divinum radiabat pectore lumen:
Surgebant Athæ ſinuoſo margine turres,
Tramitibus ſeptem plenas ibatur ad aulas,
Tramitibuſque duces ſeptem invitare ſolebant
Ad domini menſam: ſilvis aſt ipſe manebat,
Ne vox ingratæ laudis perſtringeret aures.

Adfuit

Adfuit Olla canens; mille haſtis cinctus at Oſcar
Æquora corripuit ſcatebris repleta Molenæ,
Et fera Carbareæ petiit convivia menſæ.
Canus ericæo campo canis anteit agmen,
Atque ululans latè longos dat in æthera ſaltus.
Oſcara magnanimum Fingal conſpexit euntem,
Aſt animo triſti; nam mens prælaga futuri
Perfidiam hoſtis, concha circumeunte, timebat.

Pignus amicitiæ, dederat quam Cormacus olim,
Sublimem gradiens attollit filius haſtam,
Obvia procedit Bardorum turba canora:
Diſſimulat læto vultu, quod corde latebat,
Obſcurum lethum, ſubridens Carbar amicè.
Accumbunt epulis hilares, conchæque ſonantes
Agmina circumeunt; reſplendent omnibus ora
Lætitia: at reddit fugientis lumina ſolis,
Rubrum quando caput tectura eſt atra procella.

Conſtitit armatus Carbar, tenebræque coortæ
Fronte: ſimul centum citharæ tecuere canoræ,
Et ſurdus clangor parmarum terruit aures.
Luctiſonum ciet Olla procul triſti æquore carmen,
Filius agnoſcit ſignum lugubre propinquæ
Mortis, et aſſurgens correptam concutit haſtam.

Oſcar, ait Carbar rutilus, videone Temoræ
Haſtam ferre tuam, noſtræ quæ debita dextræ?
Fulget Inisfallæ, nemoroſo Morvene nate,
Haſta manu, centum magnorum gloria regum,

Ac ducibus priſcis quondam ixitiabile ferrum,
Sed nunc cede mihi, Fingalida, cede paternum
Jus, ſecumque decus convectet Carbar Iernes.

Dona, refert, cedam violati regis Iernes,
Dona, quibus flavus cumulavit Cormacus olim,
Cum tumidos hoſtes Oſcar dare terga coegit?
Succeſſi lætis tectis, cum fuſa Suarani
Agmina ceſſiſſent noſtris, faſtuſque repreſſus.
Lætitiâ fulſit facies, haſtamque Temoræ
Tunc mihi permiſit, neque enim permiſit inerti,
Invalidove viro, cui verba minacia curæ.
Nulla procella mihi tenebræ tibi fronte coortæ;
Nec diras mortis jaculantur lumina flammas.
Num mea commovit clypeorum pectora clangor?
Ollane luctifico terret mihi carmine mentem?
Non ſic Fingalis docuerunt facta parentis;
Imbelles terræ: invenies namque Oſcara rupem.

Nonne igitur reddes? Reſpondit Carbaris ira:
Inceſſit tumidam nunc tanta ſuperbia linguam,
Canus adeſt quoniam nemoroſo ex Morvene Fingal,
Fingal, cui pigro jam effœtæ in corpore vires,
Sanguine ceſſanti, gelidaque morante ſenecta?
Ille eſt congreſſus ducibus, mihi crede, puſillis;
Sed præ me fugiens tenues vaneſcet in auras,
Præ ventis Athæ rara ut nebuloſa columna.

Si nunc, quem perhibes congreſſum corde puſillis,
Afforet, ut ſeſe diræ ſubduceret iræ,

Athenſis

Athenſis princeps viridem donaret Iernen.
Carbar at invictos ultra ne voce profanes,
In me convertas rabiem; nos viribus æqui:
Inclytus at factis Fingal ſine compare fulget,
Humanumque genus longè poſt terga relinquit.

Ut ducibus videre ſui nigreſcere frontem,
Feſtinis pedibus denſum glomerantur in orbem;
Scintillant oculi flammis; ac mille coruſci
Apparent enſes: Animus trucis Oſcaris ardet,
Lætitiâque micant tremulâ trepidantia corda,
Lætitia ſolita, ſi, cum gravis hoſtis adeſſet,
Cornua Fingalis ſtrepuiſſent voce ſonora.

Fluctus ut Oceani tumidus, veniente procella,
Immenſo dorſo curvatur littora circum,
Circumfuſa ruens acies ſic ingruit hoſtis——
* Toſcari, quid lacrymas? Sorti non ceſſit iniquæ
Natus adhuc; multos mactavit dextera fortis,
Antè dedit quam ſe victum: Premit, ecce! trementes,
Quaque trahit rabies, inimicum ſternitur agmen,
Robora ceu ſaltus, genius cum turbine vectus
Irruit iratus tenebras per noctis opacæ,
Et capita alta manu prenſans a ſtirpe revellit.
Morlathus accepit lethale in pectora ferrum;
Guttura transfixus Conacar ſe ſanguine verſat;
Inguine perfoſſo peracutæ cuſpidis ictu
Mandit humum frendens Maronnanus ore cruentam.

* Malvina, Toſcaris filia.

Sed timido pede Carbar ab Oſcaris enſe refugit,
Subque cavi lapidis turpi ſe condidit umbra.
Haſtam contorquens furtim latus Oſcaris hauſit:
Pronus at ille cadit titubans, clypeoque recumbit;
Sed tamen uſque ſui memor, ac ſplendoris avorum,
Membra genu fulcit, dextrâ dum conjicit haſtam.
Perfidus, eccè! cadit percuſſus cuſpide Carbar;
Ferrum perrupit frontem, rutilaſque diremit
Ponè comas; jacuit, convulſum ut fulmine ſaxum,
Alta quod excuſſit prærupto vertice Cromla.
Amplius at nunquam natus tellure refurget,
Incumbens armis fortis ſe ſuſtinet heros,
Concuſſaque haſta moriturus provocat hoſtes;
Gaudens longinquè ſtat Iernes torva propago;
Ceu cum multarum fremuit concurſus aquarum,
Fit clamor, latèque ſonat clangore Molena.

Audiit hæc Fingal, trepiduſque accingitur armis,
Agminaque aſpiciens hæc triſtia verba profundit.
Accipio ſonitum pugnantum; ſolus et Oſcar:
Surgite, Morvenſes, juvenemque heroa juvate.

Per campum ruit Oſſianus, peragratque Molenam
Fillanus inſultans; Fingalis luce tremenda
Apparet clypeus: Ceu cum gravis ingruit imber,
Cui latus effulget rutilanti fulguris igne,
Erigit ipſe caput, rapiduſque per æquora fertur
Dira movens animo: Longè conſpexit Ierne,
Cordeque contremuit, totoque expalluit ore.

Scibat enim regis ſe commoviſſe furorem,
Atque ſuum fatum præceptum mente tenebat.

Nos primi, quibus apta magis concurſibus ætas,
Venimus, et primi lethales torſimus haſtas.
Impetus at noſter non hoſtem cedere cogit:
Rex ſimul ipſe ſuis armis, curſuque ſonorus
Venit, quæ poſſent tunc ferrea pectora ſtare?
Per campos Lenæ tenebroſos fugit Ierne,
Sed mors inſequitur, pedibuſque fugacibus hæret.

Oſcara nitentem ſcuto, ſparſumque cruore
Cernimus; extemplo luctus obducitur umbra
Vultibus, et cuncti flentes avertimus ora.
Rex lacrymas celare ſtudet, fruſtraque laborat,
Barba viri gelida caneſcens ſibilat aura;
Utque ſuper natum pendet, ſuſpiria ducit,
Atque inter gemitus lugubria verba profatur.

Num cecidiſti ergo? Rapuerunt Oſcara fata
Curſibus in mediis? Ob te juveniſque ſeniſque
Corda dolor pulſat: Venientia prælia cernunt,
Prælia, quæ fuerant annis addenda futuris,
Nunc abſciſſa tuis factis, famaque perenni.
Lætitiam quando Selmæ cernemus in aulis?
Sollicitus quando migrabit Morvene luctus?
Occumbunt ſenſim nati, Fingalque ſupremus
Prolis erit; veluti fumus, mea fama peribit,
Atque ſenectutem relevabit nullus amicus.
In mediis aulis, nubes ceu cana, ſedebo,

Nec reditum nati cincti crepitantibus armis
Accipiam: Vos at, pubes Morvenſia, flete,
Flete, viri, cecidit, nullumque reſurget in ævum.

Atque equidem flebant, Fingal, lacrymæque cadebant,
Namque erat infelix animis cariſſimus heros:
Quum bella ingruerent, acie fulgebat in omni,
Vaneſcens hoſtis viſu tremefactus abibat:
Illeque lætitiam rediens, pacemque ferebat.
Nunc pater extinctum primævo flore juventæ,
Haud natum luget, nec fratrem frater amatum;
Indeplorati ceciderunt; namque jacebat
Dux populi: Adque pedes Brannos torvuſque Luathos;
Lugubres ululant, fuerant nam ſæpe ſecuti
Venantem in ſaltus cervos capreaſque fugaces.

Ut vidit circum mœrentes Oſcar amicos,
Candida tunc crebri ſingultus pectora pulſant.
Longævique duces, inquit, mea fata gementes,
Carminaque hæc luctus ſubito prorupta, canumque
Vox ululans, ſolvunt mihi molleſcentia corda,
Corda ſoluta prius numquam: Mucronis aviti
Reddebant aciem. Genitor, nunc corpus humandum
Uſque meos colles referas; ac erige ſaxum,
Quod famam narret. Mea in arcta ſede reconde
Et gladium fidum, et vivacis cornua cervi.
Forſan humum torrens volvendis eruat annis,
Ferroque invento priſcorum facta revolvens
Venator dicat mœſtus, "fuit Oſcaris enſis."

Ergo, nate, cadis, columenque decuſque tuorum?
Amplius et vultus non lumina noſtra beabit?
Quando alii celebrant natorum fortia facta,
Tunc virtute tua mea non mulcebitur auris;
Obruta erunt cano muſco tibi ſaxa quaterna,
Sibilus et Boreas illic lugubrè ſonabit.
Cum reliquis [illegible] nullum certamen inibis.
Nec fuſcas ce[illegible]
Forſan longi[illegible]
Dicet, " co[illegible]
Buſtum, q[illegible]
Oſcare ab [illegible]
Audiam, [illegible]
Ceu radiu[illegible]

Nox [illegible]
Orta for[illegible]
Manſiſſ[illegible]
Ceu gel[illegible]
Ni canu[illegible]
Ac voc[illegible]
Exciti ut ſomnis, attollunt lumina circum.

Quo decet uſque, viri, conſumi tempora flendo?
Quid juvat Ullina lacrymas profundere inanes?
Heroas nequeunt humili revocare cubili,
Oſcara nec reddent gaudentem robore amicis.
Occumbet fortis tandem, neque collibus ullus
Conſpiciet. Patres ubi ſunt, fera fulmina belli?
Occuluere caput, cœlo velut aſtra caduca;

Noſtras

Noſtras vix tenuis laudis ſonus attigit aures.
Præteriti ſed erant terrorque et gloria ſecli;
Sic improviſum fatum nos opprimet olim:
Dum licet, ergo decus nomenque feramus ad aſtra,
Ponè relinquentes famam, ceu lumina Phœbus,
Heſperiis poſtquam rubrum caput abdidit undis.

Continuò Ullinus deducit littore navem,
Et notus aſſurgens diſtendit vela ſecundo
Flamine; et ad Selmam curva trabe tranſilit undas.
Mens labefacta mihi, luctuque oppreſſa manebat,
Sed nullas querulas rumpebam pectore voces.

Cæſa recèns abies, atque annis ſubruta quercus
Congeſtæ paſſim fumoſa incendia volvunt:

Dumque

Dumque alii Lenæ campis convivia curant,
Carbaris heroes centum ſtruxere ſepulchrum.
Nulla tamen triſtes mulcebant carmina mânes,
Barbara nam ſemper gaudebant ſanguine corda;
Cormacus infelix crudeli cæde peremptus
Bardorum mentem ſubiit: quid dicere poſſent,
Quod cithara dignum, perjuri in regis honorem?

Robore ſub veteri cano Fingale ſedente,
Et bellatorum denſa comitante cohorte,
Stans Alanos medio triſti ſermone tenebat
Regis Iernenſis referens crudelia fata:
Concarides Alanos, Cuculini fidus amicus,
Qui coluit quondam ventoſæ tecta Temoræ:
Hoſpitio excepit rex, conſiliiſque vigebat
Cum Semides gereret generoſum in Torlatha bellum.
Triſte Alani carmen, triſteſque ex ore loquelas
Fundebat lacrymis oculos ſuffuſus obortis.

Occidui ſolis jam ſumma cacumina Doræ
Luce rubeſcebant; cœpit deſcendere veſper
Umbrifer, et ventis crepitabat ſylva Temoræ.
Heſperiis tandem nubes exſurgit ab undis,
Stellaque præfulgens extrema deſpicit ora:
Cum, nigrante polo, ſubito caput exſerit umbra,
Ac mihi ſpectanti ſolo ſua membra videnda
Præbet, ut ingenti paſſu levis æthera tranat
Collibus alternis veſtigia grandia ponens.
In latere apparet clypeus, ceu luna laborans,
Informique manu truncatam concutit haſtam.

Ductor

Ductor erat Semides; habitumque ac ora gerebat;
Agnovi latos humeros vultusque serenos:
Ille sed in proprio vanescens flamine transit,
Atque mihi tenebras ac pectus triste relinquit.

Atria concharum petii splendentia mille
Lychnis, et centum citharis resonantia Bardûm.
Cormacus in medio stábat, ceu lætus eôo
Lucifer in clivo, cum purior exiit undis,
Atque novos radios Autumni lavit in imbre:
Arthonis gladium dextrâ tunc forte tenebat,
Aspiciens hilaris capulum bullasque nitentes.
Stringere ter tentat, nisuque ter hæret inani;
Membra virilis adhuc non confirmaverat ætas:
Splendescit vultus rubicunda luce juventæ,
Inque humeris sparsi flavi sine lege capilli.
Corda gravi luctu juvenis mihi stella replevit,
Nam cito casuram novit mens præscia fati.

Dulce mihi risit roscoque hæc edidit ore.
Vidistinè patrem? Quantus surgebat in arma?
Ingens est gladius; certè illi dextera fortis
Extitit. O utinam regi par viribus essem,
Cum furiis actus violentior iret in hostem;
Tunc, Cuculini instar, spoliis hostilibus auctus
Contrà Canteliden, et Belgica tela stetissem.
Forsitan at venient anni, et maturior ætas
Nunc mollem solido firmabit robore dextram.
Audîsti quid agat Semides? Cumulatus honore,
Hostibus edomitis, potuisset pace reverti.

Pactus

Pactus in hanc noctem reditum, victricibus armis,
Excipiendus erit citharis, et carmine bardûm:
Iamque adeo intendunt nervos, auliſque Temorę
Hujus in adventum convivia feſta parantur.

Audivi juvenem tacitus, lacrymæque cadebant,
Et ſortem miſerans canis celare capillis
Tentavi; at ſenſit preſſum ſub pectore luctum.

Ergonè Turenſis periit, ſate Concare, princeps?
Quid corde ex imo furtim ſuſpiria ducis?
Ora quid invitis lacrymis maduere? Venitnè
Cantelides victor falcatis curribus altus?
Aut venit immitis meditans nova funera Carbar?
Adveniunt; video præſagum in fronte dolorem:
Occubuit Turæ princeps ſine carmine campis.
Quid moror irruere in pugnas ultricibus armis,
Sanguineque hoſtili manes placare meorum?
Dextra ſed enervis torquenda deficit haſta;
Si Cuculini eſſent juvenili in corpore vires,
Tunc cito Carbareum fugiens mihi cederet agmen;
Fortia facta patrum rurſus renovata vigerent,
Et ſæclum præſens priſco floreret honore.

Demiſſus vultum majorum corripit haſtam,
Lucida dum gravibus lacrymis duo lumina turgent,
Luctiſono aſſenſu reſpondent omnia circum,
E centum citharis procumbunt agmina bardûm;
Icta levis ſolo et queribundo flamine chorda
Triſtem, humilemque ſonum reddit prænuncia fati.

Vox procul auditur redeuntis lamenta querentis:
Canus erat Carril, veterum qui gesta canebat,
Nuper ericæa Slimorâ fronte relicta,
Ut Cuculini obitum, ac ingentia facta referret.

Tecta simul subiit, blando sic ore profatur.
Cum cecidit fatis heros oppressus iniquis,
Succubuitque hosti numerisque et viribus impar,
Obsedit populus tumulum, jacuitque per herbam
Oblitus belli et consueti luctus amoris;
Arma super viridi ponuntur gramine campi,
Nec, velut antè, necis stragisque minantur acervum;
Namque ille extinctus, nuper qui fuderat ignes
Accendens animos savi in certamina martis.
Quis tamen accedit, saliens ceu caprea monte,
Et sonitu clypei sopitum suscitat agmen?
Attollit caput, ut juvenis super æquore pinus,
Quæ, velut accedis, verno se subjicit imbre;
Ora rubent, tenera malæ lanugine florent,
Spiritus aft oculis animosis prospicit audax.
Quis, nisi dux Ithæ, patriis insignis in armis,
Auxiliumque ferens mortemque ulturus amici?

Ut venit, populus circumfluus undique surgit,
Ceu malè sopiti vis ignis colligit iras,
Cum rapidus Boreas, subito deserta relinquens,
Vallis ericææ strepitans lateri incubat alis.
Cathbateus clypeus clangore ad bella vocabat,
Certatimque phalanx omnis concurrit ad arma;
Nam Cuculini animum cernebant pectore Nathi:

Talem ſublimis gradiens ſeſe ore ferebat,
Talis erat latos humeros, oculoſque micantes.
Surgit inextinctus viſu certaminis ardor;
Prælia committunt placidi Legonis ad undas,
Et ſequitur Nathi gladium victoria læta;
Tu citò ſpectabis victorem ſede Temoræ.

Et citò, reſpondit, mihi ſit ſpectare facultas:
Nunc animum triſtem Cuculini ſorte gravante,
Fulgebit lucis radius mihi noctis in umbra.
Auri namque meæ Semidis vox dulce ſonabat;
Adjunctus lateri per ſumma cacumina Doræ
Sæpe leves curſu cervas agitare ſolebam:
Spicula non alter torquebat fortius arcu,
Atque ſagitta jugis non certior ulla volabat.
Sæpe renarrabat magnorum geſta virorum,
Virtutemque patrum verbis tollebat in aſtra,
Dum noſtri tacitam replebant gaudia mentem.
Sed tu, Barde, ſede menſæ conviva Temoræ,
Sæpe tuam vocem celebrare ingentia facta
Heroum audivi, ac animos ad bella ciere.
Nunc Semidis laudes, et Nathi gloria creſcens
Carminibus ſacrata tuis in ſecula durent.

Alma regreſſa dies radiis tepefecerat orbem,
Cum Trathinus ſubiens nemoroſæ tecta Temoræ
Dixit Inisfallæ regi, " Conſurgere vidi
Deſertis nubem, quæ nunc mihi turba videtur
Magna virûm; reliquos præiens ſupereminet heros,
Permittit rutilos crines diffundere ventis;

Terribilis clypeus radiis ſplendeſcit eois,
Utque infert greſſus dextra gravis haſta coruſcat.

Ad menſas noſtras, reſpondit rector Iernes,
Invitate virum; veniet gratiſſimus hoſpes:
Aulæ namque meæ peregrino ſemper apertæ.
Forſitan eſt Ethæ princeps, qui victor ab hoſte
Illuſtris redit, ac rebus ſuccurrit egenis.
Quis tamen accedit, juvenum comitante cohorte?
Advena magne, mihique expectatiſſime, ſalve—
Num portas pacem, et limen ſuccedis amicus?
At, Carril, torvus frontemque inamabilis enſem
Educit; certè non hic eſt Uſnothe natus.

Uſnothides non eſt, trepidanti rettulit ore,
Sed rutilus princeps Athæ. Quid, torve tyranne,
Intras armatus nemoroſæ tecta Temoræ?
Barbara ne dextræ lædat violentia regem;
Quo ruis? Abſtineas inſonti pectore ferrum.

Surdus at ille ſubit, nigræ ceu mortis imago,
Atque petens juvenem terroribus omnia replet.
Cormacus agnoſcit ſibi nunc inſtantia fata,
Iratiſque oculis erumpit flamma coruſca.
" Torve tyranne pedem referas, nam fulminis alis
Nathos adeſt pœnas repetens: Audacia mentem
Nunc ſubit, enervis quia bello dextera noſtra."
Dum loquitur, ſævus gladius latus haurit apertum,
Formoſuſque cadit reſupinus ſede paterna;
Indecori flavus fœdatur pulvere crinis,

Vulnus

Vulnus et effundit ſpumantis ſanguinis æſtum.
" Ergonè te rapuit, generoſe Arthonida, fatum?
Non aderat clypeus Cuculini, aut haſta paterna:
Triſtitia ſqualent montes lugentis Iernes,
Nam jacet extinctus crudeli funere princeps.
At te læta pium maneant, reddantque beatum,
Immaturus abis, et ſpes prærepta juventæ."

Audiit hæc Carbar, Bardoſque in carcere clauſit;
Aſt inferre manum non, quamvis improbus, auſus:
Pectora dura patrum reverentia longa movebat.
Turpia vincla diu paſſi tenebraſque ſub antro
Tabuimus: tandem venit illuſtriſſimus heros
Cathmor, et exaudit mœſtas in carcere voces,
Iratoſque oculos in torvum Carbara vertit.

Quo decet uſque animum, princeps, ſic angere noſtrum?
Deſertis cautem reddit cor; barbara ſemper
Mente moves cæde ac hoſtili ſanguine gaudens.
Cathmor at agnoſcit fratrem, bellumque gerendum
Suſcipit, etſi animum, qualem tu, ignave periclo,
Pectore non verſet: puræ ſed lumina mentis
Fœda tuis factis ſordent, bardique tacebunt
Agmina victa meis manibus, domitoſque tyrannos.
Cathmor erat fortis, dicent, ſed Carbara ſævum
Suſtinuit virtus: calcabunt buſta ſilentes,
Ignotumque premet ſitus ac oblivia nomen.
Corde remolleſcas, frater, bardoſque reſolvas;

Illis

Illis nam dominis parent vententia ſecla,
Verbaque durabunt citharæ commiſſa fideli,
Cum cecidere duces, ac mœnia celſa Temoræ.

Dixit, et extemplo fraterna obmutuit ira:
Exuti vinclis omnes excedimus antro,
Conſpicimuſque virum juvenili robore ovantem,
Atque ingens corpus robuſtaque membra decorum.
Te juvenem, Fingal, referebat ſplendidus armis,
Cum primùm patriam tua dextera ſuſtulit haſtam;
Reddebat vultus ſolis ſine nubibus orbem:
Nulla pererrabat frontem caligo ſerenam.
Ullinæ in fines multis cum millibus heros
Venerat, ut fratri ſceptrum ſervaret Iernes:
Nunc venit ulturus Morvenſi ſanguine mortem.

Et veniat, dixit; generoſi Cathmoris inſtar
Exoptatus adeſt hoſtis; nam dextera fortis,
Atque animus magnus; ſeclis memoranda futuris
Bella gerit factis ingens: animuſque pufillus
Eſt nebula incumbens ſtagni torpentibus undis,
Quæ nunquam viridis petit alta cacumina montis,
Incita ne ventis tenues vaneſcat in auras;
Antra colit, gravis ac emittit ſpicula mortis.

Noſtra ſed orta patrum generoſa ſtirpe juventus
Concipit alta animis, ſemperque pericula poſcit:
Siquè cadant, noſcunt integræ robora dextræ

Æternas

Æternas laudes habitura in carmine bardum.
Jamdudum Fingal ſenio langueſcit in umbra,
Nec manus, ut vobis, annis intacta virescit;
Non tamen ille cadet, velut ævo fulcrata quercus,
Quæ tranſverſa jacet ripis ignobilis undæ,
Quamque videns venti ſecuram ſaltibus errans
Venator dicit, " Quâ concidit iſta ruinâ
Arbor! at ille viam ſequiturque et ſiſtulat ore.

Lætitiæ carmen, Morvenſes, tollite bardi,
Præteriti ut noſtro pellantur corde dolores.
Nos rutilæ ſpectant Bellæ per nubila cœli,
Et ſomnos tacitò labentes agmine ſuadent.
Nunc citò caneſcet tenebris Aurora fugatis,
Hoſteſque oſtendet proſtrati regis Iernes.
Fillane, regalem cape dextra Morvenis haſtam,
Hirſutæque petas agilis latera ardua Moræ.
Æquor ericæum, velut ignea flamma, peragret
Lumen, ut acceſſus primos ſpeculeris Iernes,
Quoque ferat tacitus generoſum Cathmora curſus.
Accipio ſonitum procul, ac mihi percutit aures,
Deſertis veluti ſaxorum è rupe cadentum.
Sæpius at clypeum tu, Fillane, tange ſonorum,
Ne veniant furtim tenebras per noctis opacæ,
Nomenque extinguant, nocturni ut fulminis ictus,
Agmen amicorum rareſcit, meque relinquit
Solum: Fortunam timeo famæque ruinam.

Attollunt vocem bardi; rex Trenmoris armis
Incumbit, ſerpitque quies placidiſſima membris,

Verſaturque

Verſaturque animo venturi martis imago.
Degravat at circum feſſos ſopor agminis artus,
Dum pedibus velox obſervat Fillanus hoſtem,
Et clypei clangor longinquus terrìtat aures.

FINIS LIBRI PRIMI.

SOLIS INVOCATIO.

O TU, qui ſuperus cœleſti fornice pendens
Flecteris in gyrum, proavorum ut parma, rotundus,
Undè tibi radii, Titan, lumenque perenne?
Mane caput profers quum majeſtate decorum,
Sidera ſe celant clarum fugientia vultum;
Limen ad Occiduum palleſcens luna laborat,
Frigidaque, et trepidans properat ſe condere in undis.

Solus at ipſe tamen cœli per inane moveris.
Quis comitare poteſt rapidi veſtigia curſus?
Montanæ quercus pereunt, ipſique ſeneſcunt
Excelſi montes, vaneſcit in æthere luna;
Canus decreſcit pontus, rurſuſque recreſcit,
Semper et inſtabilis cunctas mutatur in horas.
Sed tu ſemper ovans curſus ſplendore niteſcis
Idem perpetuò per ſecla carentia fine.

Nigreſcente polo nimbis, tonitruque ſonoro
Volvente, et rutilis volitantibus æthere flammis,
Deſpicis ex alto pulcher, rideſque procellam:
Deſpicis at fruſtra Fingalis ſanguine creto,
Nam radios lætos non amplius ille tuetur,
Seu flavi fluitent eða nube capilli,
Seu tremulus ſteteris ad portas Veſperis hærens.

Forſitan at noſtri ſimilis periturus hebeſces
Sordibus annorum: Te ſomnus nubibus olim
Opprimet Auroræ ſecurum vocis alacris.
Robore, Sol, ergo lætare, et flore juventæ,
Nam ſenium triſte eſt, tenebroſum, inamabile; reddit
Incertæ lunæ, diviſis nubibus, ignes,
Dum nebulæ montes celant, campeſtria verrunt
Flamina dum Boreæ rapidi, laſſuſque viator
In medio curſu dejectus corda labaſcit.

11. 7. 49

FINIS.

MR. MACFARLAN has opened a Boarding-ſchool for young Gentlemen at OLD FORD, near Bow, in MIDDLESEX: A pleaſant and healthy Spot, where he initiates them in the ancient and modern Languages, teaches them the Theory and Practice of the different Branches of the Mathematicks, and inſtructs them in any other Part of Scholaſtick Learning, that ſhall be deſired.

N. B. Foreigners, as well as Natives, are taught Engliſh in a Grammatical and Scientifical Manner.